

constans; ne idem quidem, quia continenter laberentur et fluenter omnia. Itaque hanc omnem partem rerum opinabilium appellabant.

Scientiam autem nusquam esse censebant, nisi in animi notionibus atque rationibus: qua de causa definitiones rerum probabant, et has ad omnia, de quibus desceptabatur, adhibebant. Verborum etiam explicatio probabatur, id est, qua de causa quaeque essent ita nominata; quam etymologiam appellabant: post argumentis, et quasi rerum notis, ducibus utebantur ad probandum et ad concludendum id, quod explanari volebant: in qua tradebatur omnis dialecticae disciplina, id est, orationis ratione conclusae.

Tusc. I. 9, 10, 11. Quid sit ipse animus, aut ubi, aut unde, magna dissensio est. Aliis cor ipsum animus videtur: ex quo *excordes*, *vecordes*, *concordesque* dicuntur; et Nasica ille prudens, bis consul, *Corculum*, et Egregie *cordatus* homo Catus Aelius Sextus. Empedocles animum esse censet, cordi suffusum sanguinem. Aliis pars quaedam cerebri visa est animi principatum tenere. Aliis nec cor ipsum placet, nec cerebri quandam partem, esse animum: sed alii in corde, alii in cerebro dixerunt animi esse sedem et locum. Animum autem alii animam, ut fere nostri declarant nomine. Nam et agere animam, et efflare dicimus, (et animosos, et bene animatos, et ex animi sententia): ipse autem animus ab anima dictus est. Zenoni Stoico animus ignis videtur.

Sed haec quidem, quae dixi, cor, sanguinem, cerebrum, animam, ignem, vulgo; reliqua fere singuli, ut multa ante veteres. Proxime autem Aristoxenus, musicus idemque philosophus, ipsius corporis intentionem quandam, vel, ut in cantu et fidibus, quae harmonia dicitur, sic ex corporis totius natura et figura varios motus cieri, tanquam in cantu sonos. Hic ab artificio suo non recessit, et tamen dixit aliquid, quod ipsum, quale esset, erat multo ante et dictum et explanatum